

negare nemo audeat, quin, uti nos nunc, ita & veteres Cœlum & Vitam Alternam apud Deum significarint. Habemus ergo, quid *Locus Piorum*, quid *Locus sive Status Melior* in Christianorum veterum vocabulario sonet. Atque in hunc Locum se confestim post mortem adducendos præcipue Martyres exploratum habebant. Propterea subdit idem Clemens: *An non ergo est eis manifesta fides Spei Post Mortem, qui etiam ipso tempore tormentorum Deo agunt gratias? Sed & antea in eodem Lib. VII. pag. 732. Edition. Colonial. constituerat Clemens Purgationem Animarum, postquam e Corpore abscesserunt, qua peracta quid subsequatur, hisce verbis nris docet: Post quam redemptionem Præmium, & Honores dantur Consummatis (hoc est Spiritibus Iustorum Perfectis, sive Consummatis, de quibus loquitur Apostolus ad Hebr. XII. 23.) quam cessaverint quidem a Purgatione. Cessaverint autem etiam ab alio quocumque ministerio, esse sit sanctum, & inter Sanctos. Deinde eos, qui fuerint Mundi Corde, quod quam proxime Domino adhaeserint, manet perpetuæ contemplationis restitutio, & Deorum appellantur nomine, qui in eisdem Sedibus sunt Collocati, in quibus alii Dii, qui sunt primi a Salvatore constituti. Audisti, Præmia & Honores Consummatis Spiritibus? Accipe etiam, quid Scriptor idem habeat Lib. IV. Stromat. pag. 492. ubi Ethnicos redarguit, quia nec Honores Post Mortem eorum, qui sancte vixerunt, nec Supplicia eorum, qui injuste & libidinose se gesserunt, volunt intelligere: non ex nostris solum, dico, Scripturis, sed nec suorum scriptis volunt aures præbere. Tum productis Platonis, aliorumque Philosophorum sententiis ostendit, esse post mortem Præmia & Pœnas Animarum: illa vero Probis speranda esse, non post aliquot Annorum Millia, uti Burnetus persuadere popello frustra aggressus est. Nam, ut ipse Clemens Lib. V. pag. 546. ait. Bona autem spes est fore, ut, Postquam excessero, omnia Consequar. Eadem sibi volunt, quo dicuntur apud Mosem: Nemo videbit faciem meam, & viver. Clarum est enim, neminem unquam vitæ suæ tempore posse Deum evidenter comprehendere. Qui sunt autem Mundi Corde, Deum videbunt, postquam ad extremam pervenerint perfectionem. Hæc Clemens, a quo si hauriri & firmari sententiam Catholicæ Ecclesiæ de Beatitate Sanctorum dixerō, consentientes mecum, ut spero, quosque veritatis amatores habebō.*

Ad Acta veterum Martyrum regrediamur. Ex sinceris S. Symphoriani Martyris, qui circiter Ann. Christi cxxx. vitam pro Christo dedisse traditur, eadem doctrina deducitur. Illum quippe euntem ad patibulum Mater hisce verbis confortabat: *Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum circum. Resume constantiam, fili. Timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad Vitam. Sursum cor suspende, fili. Aspice illum, qui regnat in Cælis. Hodie tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius: Hodie, nate, AD SUPERNAM VITAM felici commutatione migrabis.* Hisce adde Acta Proconsularia Martyrum Scillitanorum, ad Annum Christi cctii. a Cardinali Baronio in Annalibus Ec-